

CARMEN 64

candida purpurea talos incinxerat ora,
 at roseae niveo residebant vertice vittae
 aeternumque manus carpebant rite laborem.
 laeva colum molli lana retinebat amictum,
 dextera tum leviter deducens fila supinis
 formabat digitis, tum prono in pollice torquens
 libratum tereti versabat turbine fusum,
 atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
 laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
 quae prius in levi fuerant extantia filo.
 ante pedes autem candardis mollia lanae
 vellera virgati custodibant calathisci.
 haec tum clarisona vellentes vellera voce
 talia divino fuderunt carmine fata,
 carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas:
 'O decus eximium magnis virtutibus augens,
 Emathiae tutamen, Opis carissime nato,
 accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
 veridicum oraculum, sed vos, quae fata secuntur,
 currite ducentes subtegmina, currite, fusi!
 Adveniet tibi iam portans optata maritis
 Hesperus, adveniet fausto cum sidere coniunx,
 quae tibi flexanimo mentem perfundat amore
 languidulosque paret tecum coniungere somnos
 levia substernens robusto bracchia collo.